

de jure novo Authenticorum per textus in *Authentic. sed hodie, Codice de Adulter.* poena incestus erit arbitraria, argumento textus in *leg. Hoc accusare, §. Omnibus, ff. de Accusat.* & cum hac poena arbitraria confiscabitur dimidia pars omnium bonorum: ita disponit text. in *leg. 5. tit. 15. lib. 8. Ordin. & leg. 7. tit. fin. eod. libr.* & ita practicatur, & jam ego practicavi: quod tamen videtur intelligendum, quando non sunt Filii prioris matrimonii, argumento text. in *l. 3. titul. 18. part. 7.*

16 Unum tamen est, quod isto casu in probanda copula inter consanguineos, major probatio requiritur, quam in probanda copula inter extraneos: ex quo videtur inferendum, quod licet inter extraneos, sufficeret probatio per conjecturas & præsumptiones, non tamen sufficeret inter consanguineos, quia præsumptio honestatis, quæ oritur & colligitur pro ipsis reis ex consanguinitate vel affinitate, excludit & enervat omnes alias præsumptiones, quæ essent contra eos: textus est notabilis in proposito in *leg. Si qui adulterii, Codic. ad legem Juliam de adulteriis* ubi habetur quod accusati de adulterio repellentur accusationem prætextu consanguinitatis, cujus verba sunt: *Si qui adulterii fuerint accusati, & obtentu proximitatis intentata depulerint per commemorationem necessitudinis crimini fidem derogando, dum astimatur, non debere credi quod allegatur, vel non potuisse committi, &c.* & ibi ad hoc notat & commendat Jacob. Butr. & Salicet. textus in *leg. Eum qui probabilem, Cod. de Episcop. & Cleric.* in his enim nihil sævi criminis æstimari fœdus naturale permittit, & ibi notat Bald. & alii DD. text. in *cap. Cum in juventute, vers. Extra de Præsumptionibus*, ubi similia verba ponuntur, textus in *cap. pen. de Cohab. Cler. & mulier*, cujus verba sunt: *A nobis tua fraternitas requisivit, & infra, cum Clericis non permittas mulierculas habitare: nisi forte de illis personis existant, in quibus naturale fœdus nihil permittat sibi criminis suspicari, & ibi communiter DD.*

17 Ex quo probabiliter potest dubitari, si prædicti consanguinei vel affines reperiantur nudus cum nuda in eodem lecto jacentes, an ex hoc solo præsumatur inter eos copula, & censeatur legitime probata: & videtur quod non, quia licet talis probatio sufficeret & concluderet inter extraneos, ut in *cap. litteris, extra, de præsumptionibus*, tamen non videtur concludere inter consanguineos: quia fortior & vehementior videtur esse præsumptio honestatis, quæ oritur ex consanguinitate vel affinitate, per jura superiora: & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Jacobus Butric. in *dict. leg. Si qui adulterii, Cod. ad legem Juliam de adulter.* & sequitur

ibi Salicet. *col. 2. num. 5.* & in expresso per illum textum ita tenet Angel. in *leg. 2. §. fin. n. 3. ff. ad legem Jul. de Adulter.* Sed his non obstantibus ego teneo contrarium, imò quod hoc casu censeatur probata copula & crimen incestus inter consanguineos: & in terminis ita probat textus in *dict. cap. Litteris de Præsumpt.* ubi aperte loquitur circa consanguineos vel affines, & dicit quod ex tali præsumptione inducitur plena & juridica probatio contra eos: *consanguineum viri ejusdem solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto jacentes, &c.* & ibi expressè notat Abbas in fine, dicendo quod ex tali præsumptione probatur crimen incestus inter consanguineos vel affines: sequitur etiam & reputat notabile Felin. ibi, *col. 1. in princip.* & dicunt prædicti DD. quia licet ille text. loquatur quando agitur civiliter ad separationem thori, tamen idem est si ageretur criminaliter ad poenam delicti, cum sit tam vehemens præsumptio, quæ negari non possit, & simus in delicto occulto, quod aliter probari non possit: & ita ego practicavi in quæstione de facto in quo fui assessor. Quod tamen notabiliter intelligerem inter consanguineos collaterales: secus verò inter ascendentes & descendentes: quia ibi concurrunt tam vehemens præsumptio honestatis quod excludit aliam. Item etiam intelligerem quando prædicti consanguinei collaterales jacerent in lecto secreto & occulte: secus verò si palam: quia tunc non sufficeret ita probat mihi textus notabil. in *dict. cap. Litteris* ibi: dum dicit *multis locis secretis & latebris ad hoc commodis & horis electis, &c.* facit etiam textus in *leg. final. ff. de Ritu nupt.*

Item & tertio intelligerem, præterquam in peccato nefando contra naturam cum masculo: quia in ipso, quod duo masculi reperiantur in uno eodemque lecto, ex hoc non præsumitur delictum nec accessus carnalis: quia cum agatur de probando actu contra naturam, requiritur vera & legitima probatio, quia præsumptio naturalis excludit præsumptionem contrariam, & non sinit eam à jure produci. Ex quo resultat mihi maximum dubium, qualiter possit probari delictum contra naturam, cum difficillimum sit quod testes verè & propriè videant consummationem illius actus: sed teneo pro constanti quod poterit probari per ipsam propriam veram, & realem commissionem & accessum: vel eo ipso quod probatur quod unus est supra alium, vel accedit ei commovendo corpus per actus motivos luxuriæ contra naturam, taliter quod aliud non possit præsumi vel conjecturari, nec ad aliud applicari: & in terminis ita probat text. rectè ponderatus in *leg. Cum vir, Cod. de Adulteriis*, quod est novissimum & per alios non tactum. Ex quibus defendebam

debam in hac civitate quandam pauperem à poena mortis, in peccato nefando contra naturam: nam in foro & platea publica hora meridiana coram omni populo accessit ad quoddam animal retro, & super eo extendit pallium & cooperuit pudibunda ejus, & ibi stetit per aliquod spatium temporis, & plures testes dixerunt se hoc vidisse & credere commisisse peccatum nefandum contra naturam, & captus fuit: & judex volebat ei imponere poenam ordinariam delicti contra naturam, & sic condemnare ad poenam ignis: sed ego defendebam eum ex defectu probationis, dicendo & allegando, quod ex eo quod erat delictum contra naturam, & in loco publico, & coram omni populo, non deberet præsumi delictum, cum actus & accessus carnalis non sit verè & legitime probatus argumento superiorum. Item etiam allegabam, quod erat homo infirmus urinae; & non poterat eam retinere. Item quod in casu vel actu indifferenti, qui potest applicari & intelligi ad delictum vel innocentiam, potius est præsumenda innocentia quam culpa vel delictum: text. est notabilis in *leg. Absentem, ff. de Pœnis*, cujus pulchra verba sunt, *sanctus enim est nocentem impunitum relinquere, quam innocentem condemnare.* Item quod ex præsumptionibus non approbatis à jure, non debet quis condemnari ad poenam corporalem: & tandem judex fuit recusatus, & assessor absolvit eum: & judex condemnavit ad torturam, sibi fuit imposita, & nihil confessus fuit; & tandem liberatus & absolutus fuit.

19 Quarta & principaliter est punibilis coitus & accessus cum Clerico, Sacerdote, vel Religioso, vel cum homine conjugato: nam si aliqua mulier etiam soluta & inhonesta habeat accessum ad Clericum vel conjugatum, punitur poena unius marchæ argenteæ: & postquam semel fuerit condemnata, si reinciderit in idem delictum, punitur poena alterius marchæ argenteæ, & insuper in exilio unius anni: & pro tertia vice punitur poena alterius marchæ argenteæ & flagellorum: quæ quidem poena pecuniaria dividitur isto modo: nam duæ partes applicantur fisco, & alia tertia pars applicatur accusatori, vel judici ex officio inquirenti & exequenti: & ista poena principaliter imponitur ut detur occasio quod Clerici, Religiosi & homines conjugati vivant castè, nec inveniatur sibi concubinas: ita disponit textus in *leg. 23. & 24. tit. 2. lib. 1. Ordinam. & in pragmatica 95. & 96. lib. pragmat. fol. 88.* postea autem ista poena est augmentata, quia pro prima vice, talis concubina punitur in poena prædictæ marchæ argenteæ, & insuper in exilio unius anni ab oppido ubi commisit delictum & ejus territorio: & pro secunda vice punitur poena

Anton. Gom. ad Leg. Tauri.

na prædictæ marchæ argenteæ & in exilio duorum annorum: & pro tertia vice condemnatur poena flagellorum, & poena alterius marchæ argenteæ, & exilio unius anni, ita disponit hodie quoddam capitulum de *los Corregidores, fol. 5. col. 2.* & postea fuit alterata & augmentata prædicta poena, quia pro secunda vice imponitur poena flagellorum, & exilii unius anni, & alterius marchæ argenteæ: ita disponit *lex 40. in ll. de Madrid.*

Prædicta tamen poena non habet locum in muliere conjugata, quia licet sit concubina Clerici vel Religiosi, non potest puniri supra dictis poenis legalibus sed tantum maritus potest eam accusare de adulterio: ita probat textus in *leg. Si uxor, vers. Sed & in ea, ff. de Adulter.* ubi habetur quod licet accessus ad meretricem non sit punibilis, tamen debet intelligi in meretrice non conjugata: secus verò in conjugata: quia illa potest de adulterio accusari, & non cadit sub legibus simpliciter loquentibus de accessu & delicto carnali mulierum: & in expresso isto fundamento & ratione ita determinat Joann. Andreas in *Addition. ad Specul. in titulo de injuriis, & damno dato col. 1. in medi.* & illud dictum reputat singulare Ludovic. Roman. in *leg. Si vero, §. de Viro, ff. solut. matrim. column. 7. num. 23.* Alexand. in *leg. Plerique, ff. de In jus vocand. final. col. num. 12.* & ibi Jas. *penult. col. in fin.* & in terminis ita disponit hodie *pragmat. 95. fol. 88.* quæ sit quotidie practicatur. Quod tamen singulariter limita & intellige præterquam si maritus talis mulieris concubinæ sciret vitam & mores uxoris suæ & pateretur, consentiret & dissimularet cum ea: quia tunc talis mulier possit puniri tamquam concubina clerici vel conjugati, & non gauderet privilegio mulieris conjugatæ ita singulariter determinat Joann. Baptista de Sancto Severino, in *tract. de Debitore fugitivo col. 13. num. 24.* & illud dictum extollit & reputat novum & singulare Hippolytus de Marsiliis in *leg. unica, Cod. de Raptu virginum 7. column. num. 31.* Item adde quod in prædictis casibus judex secularis potest intrare domum clericorum, religiosorum, vel conjugatorum, ad inquirendas prædictas concubinas, & in expresso ita determinat prædicta *pragmatica 96.*

Advertendum tamen quod videtur, quod prædictæ leges regni non valeant nec potuerunt inducere & disponere, quod puniantur prædictæ concubinæ clericorum, & inquirentur domus eorum: quia directè vel indirectè non potest Rex vel Princeps aliquid statuere contra personas Ecclesiasticas vel statum earum, argumento text. in *cap. 1. de Immunitate Ecclesiarum, lib. 6. & in cap. Tantis, dist. 81.* Item etiam quia ex tali processu & sententia lata contra concubinas infamantur

Nnn 3

tur ipsi clerici saltem de facto propter criminis connexitatem. Confirmatur etiam ex sententia Constantini, dicentis, quod chlamyde sua cooperiret clericum peccantem, ne ab aliquo videretur, ut habetur *in capit. in Scripturis 96. distinct.*

Sed his non obstantibus contrarium est tenendum, imò quod Principes nostri licite & iuste potuerunt prædictas leges condere contra publicas concubinas clericorum, nec tunc honestas Ecclesiastica maculatur, sed potius defenditur.

Item etiam quia de iure canonico concubinatus & omnis fornicatio est illicita & reprobata, maxime in clericis & personis Ecclesiasticis, ut *in cap. Nemo 32. quæst. 4. cum aliis*: ergo bene possunt leges civiles isto casu coadjuvare & punire, ut *in cap. Si in adiutorium distinct. 10. & in cap. 1. Cum ibi notatis, de oper. novi nuntiation. & in expresso reperio, quod ita tenet Ancharra in regula, ea qua de regulis juris, in 6. quæst. 23.* ubi dicit quod de hac quæstione fuit interrogatus & consultus per clarissimum Principem Carolum, & cum deliberatione sibi respondit, quod valent & sunt iustæ: idem Anchar. *in cons. 196.* Joan. de An. *in rub. de Adult. column. 2.* & forte idè cautè prædictæ leges nostræ regiæ tantùm loquuntur in isto casu, quando prædictæ concubina clericorum sunt publicæ & manifestæ.

22 Unum tamen est quod hoc casu non sufficeret quod haberetur clericum, religiosum vel conjugatum habuisse accessum cum aliqua muliere soluta, nec adhuc eos reperire in flagranti delicto, ut ex hoc talis mulier puniatur prædicta pœna tamquam concubina, sed requiritur, quod probetur publice & manifestè eam habuisse pro concubina, & pro tali publica concubina sit reputata, quia videntibus & scientibus vicinis ille clericus vel religiosus domum ejus intrat, & conversatur, dando ei necessaria, argumento text. *in leg. Si vicinis, Cod. de Nuptiis*, & in terminis ita tenet & declarat Hostiens. Joann. Andreas, Abbas & communiter DD. *in cap. de Eo qui cognos. consan. uxor. sua. Palacios Rubeus in sua repetitio, §. 21. fol. 95. 1. & 2. column.* Adde tamen, quod ipse homo conjugatus qui habet prædictam concubinam, potest dici infamis, argumento textus *in leg. 2. Codic. de Incestis nuptiis*, & ibi expressè tenet Baldus & alii DD.

23 Quintò & principaliter est punibilis coitus & accessus inter dominam & servum proprium: nam si servus habet accessum ad dominam suam, etiam solutam, honestam vel inhonestam, punitur pœna mortis qualificata: quia concrematur, & etiam ipsa domina punitur pœna capitali, id est, mortis: textus est expressus *in leg. unica, Codic. de Mulieribus qua se propriis servis conjun-*

xerunt, & ibi Glossa ordinaria Bartolus, Cinus, Jacobus, Butr. Baldus, Salicet. & communiter DD. & ibi exclamat Cinus contra feminas quæ tam nefandum crimen committunt, exclamat etiam Angelus de Aretin. *in parte, che me aya adultera- to, column. 26.* vers. *Quæro qua sit pœna stupri*, & idem disponit *in servo lex 2. tit. 19. part. 7.* imò etiam si talis domina nubat servo suo, vel ei dederit libertatem, & postea nubat ei, uterque punitur pœna: ita disponit, *lex 1. titulo 11. lib. 4. for. 11.*

24 Sextò & principaliter est punibilis coitus & accessus tutoris vel curatoris cum pupilla vel adulta sua, nam si tutor habeat accessum ad pupillam suam durante tutela, imò quod magis est, finita tutela, vel curator habeat accessum ad adultam suam durante cura vel ea finita, punitur pœna deportationis, & pœna confiscationis omnium bonorum suorum: testis est *in leg. unica, Cod. Si quis eam cuius tutor fuerit, corru- perit*, & ibi notat Glossa ordinaria Odofredus, Bartolus, Cinus, Jacob. Butr. Faber, Baldus, Salicet. & communiter DD. & licet illa lex tantùm loquatur in eo, qui quondam fuit tutor vel curator, & habuit accessum ad pupillam vel adultam jam exceptam à tutela vel cura: tamen eadem ratio est, & à fortiori in eo qui actualiter est tutor vel curator tempore accessus: & in expresso ita tenet ibi Odofred. & est de mente omnium, & probat textus cum ibi notatis *in leg. Qui pupillam, ff. ad legem Juliam de adul- teris*, & idem disponit textus *in leg. 6. tit. 17. part. 7.*

25 Ex quod textu *in dicta leg. unica*, cum communi opinione infert singulariter Joann. Faber, *in §. Item lex Julia, de Adulteris, Institut. de pub. judic. in fine*, quod si custos carceris habeat accessum ad mulierem captam vel incarceratam sub custodia sua, pariter deberet puniri: imò de consuetudine & pœna mortis, & sequitur ibi Joann. de Plat. *penult. colum. num. 50.* & illud dictum reputat singulare & unicum Parisius de Puteo *in tract. Syndicatus in parte adulterium fol. 43.* ubi hoc notabil. extendit ut procedat etiam si talis mulier sit inhonesta, imò publica meretrix: & in expresso idem tenet Hippolyt. *in leg. 1. ff. ad leg. Corneliam de sicariis col. 2. num. 5.* tenet etiam & commendat Paulus Grilaudus *in tract. de Penis omnifariam coitus 13. quæst. princip.* Quod tamen intellige quando talis mulier meretrix, quæ est capta, cognoscitur invita & per vim: secus verò aliàs, quia mitiùs deberet puniri: ita Cifuentes *in leg. 62. in 11. Taur. 3. column. in fin.* Ego tamen dico, quod cum iste casus à jure non sit decisis, puniretur custos carceris pœna quadam arbitraria,

secundùm qualitatem personarum & carceris.

26 Septimò & principaliter est punibilis coitus & accessus cum persona alterius sectæ: nam si aliqua mulier virgo, vel vidua Christiana habeat accessum cum homine alterius sectæ pro prima vice punitur in pœna medietatis confiscationis bonorum, & applicandæ certis personis: de quibus *in leg. Parti. infra alleganda*: & pro secunda vice punitur in pœna mortis, & in pœna confiscationis omnium bonorum: & si fuerit mulier publica vel inhonesta, pro prima vice punitur pœna flagellorum, & pro secunda vice punitur pœna mortis: & si fuerit mulier conjugata, debet poni in manibus & potestate mariti, ut de ea faciat quod velit: text. est *in leg. fin. tit. 25. part. 7.* de jure autem communi quæ pœna imponatur, vide text. & DD. *in leg. Ne quis Christianam, Cod. de Judæis*, & omnino & meliùs quàm ibi Paulum Grilaudum *in tract. de Penis omnifariam coitus 12. quæst. princ.*

27 Octavò & principaliter est punibilis coitus & accessus, quando quis bis contraxit matrimonium, imò hoc casu punitur ex solo matrimonio, modò habuerit accessum ad secundam uxorem, modò non: & de jure communi pœna est arbitraria, & ultra hoc efficitur infamis, textus est *in leg. 2. Codic. de Incest. nupt.* cujus verba sunt: *Neminem qui sub ditione sit Romani nominis binas uxores habere posse vulgò patet, cum etiam in edicto prætoris hujusmodi viri infamia notati sunt, quàm rem competens iudex inultam esse non patietur*, & ibi notat Glossa ordinaria & communiter DD. text. est *in leg. 1. §. fin. ff. de His qui notant. infam. textus in leg. Quid ergo, §. 1. eod. tit. text. in leg. Eum qui duas, Cod. ad leg. Jul. de Adult. facit textus, in cap. de Benedicto 22. quæst. 1.* & ibi DD. & quod per eum tenet Abb. & DD. *in cap. Cum haberet de eo qui duxit in matrim. quam pol. per Adult. Abb. Clar. Præpos. & DD. in cap. Accepisti de sponsa duorum.* Hodiè tamen iste talis punitur corporaliter isto modò, nam debet sibi publicè imponi signum in fronte, ad instar litteræ q. ita disponit textus *in leg. 6. tit. 13. lib. 8. Ordin. in leg. 3. tit. 1. lib. 5. Ordin.* & in quantum illa l. dicit ultra pœnas à jure statutas, intelligo de pœna infamiae quæ erat ipso jure imposita per dictas leges communes suprà allegatas. Item etiam intelligo ultra pœnas positas per leg. not. *Part. scilic. leg. fin. tit. 17. part. 7.* quæ dicit quod isto casu ille qui bis contraxit matrimonium punitur in exilio quinque annorum: & insuper confiscantur sibi omnia bona quæ habebat in illo oppido vel loco, ubi tale matrimonium secundum contraxit; & non extantibus filiis vel nepotibus quibus bona applicentur, medietas applicatur parti quæ dam-

num passa fuit ignoranter, & alia medietas fisco: & si ambo scienter contraxerunt prædictum matrimonium, puniuntur pœna prædicti exilii, & in confiscatione bonorum quæ habebant in illo loco, & non extantibus filiis vel nepotibus, applicantur fisco: sed an isto casu habeat locum pœna stupri, tam de jure civili quàm canonico: & credo quod non, cum ista pœna sit competens. Advertendum tamen quod aliqui litterati hujus regni dicunt, quod illa lex est corrupta, quia non debet dicere quod imponatur delinquenti littera q. quia nullam videtur continere causam vel rationem fundamentalem: sed illa littera debet esse b, quæ fit è contra & sursum, ut patet ad sensum, quasi significet bigamus: & sic est error scriptoris: alii verò dicunt & tenent quod debet dicere io. quasi malè senserit de fide: alii tenent quod debet dicere ir. quasi per illas duas litteras & signa numeralia intelligatur bis contraxisse matrimonium: sed quidquid sit, illa lex communiter practicatur, ut jacet, & imponitur in fronte littera q.

Dubium tamen est circa illam legem, an habeat locum in femina quæ contraxit bis matrimonium? & indubitè teneo quod sic: & hoc tali fundamento & ratione, quia lex vel dispositio quantumcumque pœnalis & odiosa loquens in masculo extenditur ad feminam, quando militat eadem ratio: ita probat text. *in leg. Si quis in tantum, Codic. Unde vi*, juncta Glos. magn. *in 1. quæst. & communi opinione*, ubi habetur quod pœna illius leg. Loquentis in masculo extenditur ad feminas, text. *in leg. Una*, juncta Glos. in verbo Sponsam, & communis opinio, *Codic. de Rapt. virg. textus in leg. Quicumque, Codic. de Ser. fugit. textus in leg. Si quis id quod, ibi: sed & utrumque sexum prætor complexus est, ff. de Jurisdic. omnium jud. textus in leg. 2. Cod. de In jus vocan. textus cum materia in leg. 1. ff. de Verbor. signific. & in terminis hoc apertè probat prædicta lex fin. tit. 17. part. 7.* Nec obstat si dicatur quod isto casu maritus potest uxorem accusare de adulterio commisso cum secundo viro, unde videtur cessare alia pœna, argumento textus cum materia *in leg. Senatus, ff. de Accus.* quia illud est verum quando esset unicum tantùm delictum: sed in nostro casu sunt duo delicta, unum est contractus matrimonii in contemptum Ecclesiæ, & istud punitur per prædict. 11. aliud est adulterium si sequatur copula in offensam mariti, inde meritò talis mulier veniret puniendi forma prædictorum 11. hujus regni, & postea si maritus accuset, sibi tradetur, secundùm formam legum nostri regni.

Item etiam circa prædictam l. quæro, si quis ter vel pluries contraxit matrimonium vivente pri-

prima uxore, vel mulier vivente primo marito, an debeant gravius puniri: & recolo me jam hoc vidisse in contingencia facti; & breviter teneo quod isto casu alterabitur poena, & contrahens gravius debet puniri: unde ultra praedictas poenas puniretur alia poena extraordinaria iudicis arbitrio: quia delictum reiteratum acrius debet puniri, argumento textus in leg. 3. in fin. Cod. de Episc. audien. textus in leg. Capitalium, §. Solent. ff. de Pœnis cum similibus, facit etiam bonus, text. in leg. Hos accusare, §. Omnibus in fin. ff. de Accus. ubi habetur quod quando poena imposita non potest per legem cadere, nec habere locum in aliqua persona, alterabitur poena iudicis arbitrio: & ad hoc summè notat & commendat ibi Bartol. in ultimo notabili, & ceteri DD.

30 Item etiam circa praedictam legem quaero si istud secundum vel tertium matrimonium quod quis contraxit sit invalidum de jure, ratione consanguinitatis, vel ex alio impedimento, an habeat locum praedicta lex & ejus poena? Et breviter dico quod sic: quia ibi non consideratur validitas vel invaliditas matrimonii, sed dolus, culpa, vel delictum contrahentis: quod patet, quia quando quis contraxit secundum vel tertium matrimonium, tale matrimonium ipso jure nullum est, & tamen punitur: ergo idem est quando ex alia causa vel impedimento esset nullum: & in expresso ita probat textus notab. in leg. Eum qui duas, Cod. ad leg. Jul. de Adulter. cujus verba sunt: Eum qui duas habuit simul uxores, sine dubitatione committatur infamia: in eam namque re non juris effectus quo cives nostri matrimonia contrahere plura prohibentur, sed animi desinatio cogitatur, textus in cap. Nuper, ubi similia verba ponuntur, extra de bigamis, textus in leg. Qui contra & in Authentic. incestas, Codic. de Incest. nupt. cum similib. ubi habetur quod ille qui scienter contrahit incestas nuptias cum consanguinea vel affine, licet matrimonium ipso jure non valeat, punitur poenis, de quibus ibi. Nec obstat textus in leg. Si uxor. §. Divus, vers. Sed si ea, ff. ad leg. Jul. de adulter. ubi dicitur quod si matrimonium inter aliquos non valet, & uxor commisit adulterium, non potest accusari ut adultera: quia respondeo quod non potest accusari ab ipso marito jure mariti: cum verè non sit, sed bene potest accusari jure extranei, de quo latius infra dicitur.

31 Item etiam circa praedictam legem quaero si mulier sine dolo credens maritum esse mortuum contraxit secundum matrimonium, vel è contra, & in veritate vivat, an habeat locum poena praedictarum legum hujus regni? Et breviter & resolutivè dico quod si maritus longè absens sit, & de ejus morte fuerit certiorata, saltem per

unum testem legitimum & fide dignum, qui in actis deponat cum juramento, & fama concurrente, poterit impunè secundum matrimonium contrahere: textus est in Authentic. ut liceat matri & avia, §. Quod autem à nobis collat. 8. & ibi notat Bartol. Angel. & communiter DD. textus in Authentic. hodie, Codic. de Repud. & ibi notat Glossa ordinaria, Bartol. Cin. & communiter DD.

Hodiè tamen de jure canonico, cui est standum poterit impunè secundò nubere, si talis mulier certum nuntium de morte ejus recipiat, textus est in cap. In praesentia de probat. & ibi notat & commendat Innocet. Abbas, & communiter DD. facit etiam text. & ibi notant DD. in cap. 2. de secund. Nuptiis, textus & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. in cap. Quoniam frequenter, §. Si autem lite non contestata, si vero praedicta mulier aliter contrahat, punitur poena adulterii, & per consequens poena praedictarum legum, textus est in dist. Authentic. ut liceat matri & avia, §. Quod autem à nobis collat. 8. textus in dist. Authentic. hodie, versic. Si verò, Codic. de Repud. cujus verba sunt: Si verò praeter hac nupsit, tam ea quam qui eam duxerit, velut adulteri puniantur: & ad hoc notat & commendat ibi Bartol. Cinus, & communiter DD. Unum tamen est, quod si talis vera & legitima certioratio de morte viri non interveniat, sed sola fama vel aliqua credulitas, excusaret uxorem, ita probat text. notab. in dist. cap. 2. de 2. nupt. & ibi tenet Glossa ordinaria, & communiter DD. Gloss. etiam ordinaria & communiter DD. in dist. cap. In Praesentia, pro qua communi sententia & conclusione est hodiè lex nova Part. in leg. 8. tit. 9. part. 4. facit etiam notabiliter leg. 14. tit. 14. part. 3. quae disponit quod in successione probata absentia alicujus per decem annos, cum publica fama mortis potest succedi. Hodiè tamen de jure novo ordinamenti talis mulier ex hac credulitate vel fama non excusaretur in totum, sed mitius puniri debet, quia traditur marito ut ex ea faciat quidquid velit, dum tamen non occidat eam, text. est in leg. 7. tit. 15. lib. 8. Ordinam.

Nonò & principaliter est punibilis accessus contra naturam: nam si quis habeat accessum ad alium hominem committit detestandum & abominabile crimen Sodomiae, contra naturam: quod gravius est ceteris criminibus praeter haeresim, & tendit in maximam offensam Dei & totius naturae, in cap. Adulterii 32. quaest. 7. ibi: Sed omnium horum est pessimum quod contra naturam fit, & in cap. Flagitia, eadem causa & quaestio. & tenet Collectarius in cap. Inquisitionis volum. 1. de Accus. propter quod crimen quinque civitates fuerunt destructae: tres ex proprio delicto, & duae ex vicinitate, ut in cap. Clerici de excessibus

praetorum, & ibi notat Glossa ordinaria & communiter DD. & in cap. ut Clericorum mores, de vita & honestate Clericorum, & in cap. Sed & continuo, de Penitent. dist. 1. & habetur originaliter, Genesis cap. 18. & 19. & in veritate pudet loqui in tam nefando crimine & turpi materia & in ea verba proferre: sed utar consilio & exemplo Divi Chrysostomi in declaratione Epistolarum Pauli ad Corinthios, super Epistola 37. dicentis, quod non dedignentur praedicatores in hoc detestabili crimine verba proferre pro utilitate populi; ita ego nolo dedignari de eo loqui pro bono publico & instructione iudicum, & poena malorum, & terrore & exemplo bonorum: & in primis dico quod poena hujus nefandi criminis est poena mortis & confiscatio omnium bonorum, tam in agente quam in patiente, textus est capitalis & expressus in leg. Cum vir, Codic. ad leg. Juliam de adult. cujus verba sunt: Cum vir nubit in foeminam vires porrecturam quid cupias ubi sexus perdidit locum? ubi scelus est id quod non proficit scire: ubi venus mutatur in alteram formam, ubi amor quaritur nec videtur: jubemus insurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquisitis poenis subdantur infames, qui sunt vel futuri sunt rei, & ibi ad hoc notat Glossa ordinaria, Azo in Summa illius tituli, final. colum. numer. 25. Odofredus, Cinus, Jacobus, Butric. Bartolus, Albericus, Faber, Baldus, Salicetus, & communiter DD. de qua leg. dicit ibi Bartol. quod non consuevit legi in Scholis propter turpitudinem materiae: dicit etiam Alber. quod illius legis est pulcher stylus, turpis materia, sententia justa. Unum tamen est, quod verba illius legis si bene inspiciantur non probant hunc intellectum, nec videtur loqui in nostro casu: nam dicit cum vir nubit in foeminam, unde videtur loqui quando masculus contraxit matrimonium cum alio masculo, & ad eum habuit accessum sub colore matrimonii: & iste videtur sensus illius legis, in quantum dicit: Cum vir nubit in foeminam, id est: vir nupsit alteri, tamquam foemina: & istud crimen propriè puniit illa lex, non verò simplex crimen Sodomiae sine matrimonio: & istum intellectum apertè tenet Glossa ordinaria in capite cum secundum leges de Haereticis libr. 6. in gloss. 1. & circa hoc interrogavi peritissimum in lingua Graeca, & Latina Commendatarium proprietatis cathedrae in hac nostra Salmanticensi Universitate regentem, qui dicit mihi, quod iste erat verus & realis sensus illius legis & verborum ejus. Defendit hanc interpretationem Simancas in Catholicis institutionibus, tituli. 65. numer. 76. Rebardus, lib. 4. Variar. cap. ultim. Et confirmatur ex libris authenticis Poetarum, quibus cavetur quod illo

tempore antiquo contrahebantur talia matrimonia inter masculos, & dotes constituiebantur, ut habetur expressè per Suetonium Tranquillum in vita Neronis cap. 28. dicentem, puerum Sporum exactis testibus etiam in mulierem naturam transfigurare conatus, cum dote & flammeo per solenne nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se pro uxore habuit. Habetur etiam per Juvenalem in 2. Satyra dicentem: Quadraginta dedit Gracchus sextertia, dotem Cornicini, & in eadem Satyra, traditur: ecce viro clarum genere atque opibus vir, & rursus in eadem Satyra. Quae causa officii? quid quæris nubis amicus. Item etiam & secundò pro hoc intellectu facit textus in leg. Scruprum, vers. 1. ff. ad leg. Juliam de adulter. ubi expressè dicitur quod stuprum committitur cum virgine vel vidua, vel puero: ergo apertè ibi probatur quod pro delicto simplici Sodomiae non imponatur poena mortis, sed tantum poena stupri, quae est longè minor, ut supra suo proprio loco & delicto diximus.

Tertiò & principaliter pro isto intellectu facit textus expressus in leg. 3. vers. Praterea, ff. ad legem Juliam de vi, ubi habetur quod ille qui per vim stupraverit puerum vel foeminam, tenetur poena illius legis quae est deportationis & publicationis bonorum: ergo sine vi erit poena simplicis stupri, & nullo casu erit poena mortis. Sed his non obstantibus contrarium est tenendum, imò quod propter hoc delictum Sodomiae, etiam sine colore matrimonii, imponatur delinquentibus poena mortis de jure antiquo: & ita intelligatur praedicta lex, cum vir, nam dum dicit, cum vir nubit in foeminam, debet intelligi, id est, se supponit tamquam foemina, & assumit officium ejus contra naturam, & sic procedat & habeat locum ejus poena, modò inter eos sit contractum matrimonium, modò non: & in expresso ultra Doctores allego textum expressum & formalem in §. Item lex Julian. de adulterii Instituit. de publicis jud. ubi dicit quod pro stupro & nefando crimine commisso cum masculo imponitur poena adulterii, quae est poena mortis. Nec obstat si quis dicat, quod pro stupro non imponitur poena mortis, sed mitior: quia respondeo quod illud est verum, quando committitur cum foemina, virgine, vel vidua, secus verò si cum masculo: quia licet sit delictum stupri, tamen pro eo imponitur poena mortis: & iste est verus sensus illorum jurum: & in terminis ita tenet & declarat Glossa ordinaria in dist. §. Item lex Julia Instuit. de public. judic. & ibi Faber, Angel. Nicol. Platea, & communiter DD. Glossa ordinaria in leg. Inter liberas, §. 1. ff. ad leg. Jul. de adulte. & ibi communiter DD. Glossa ordinaria, in l. 2. §. 1. vers. Miles, ff. de His qui not. infam. & ibi com-